41

DE MEDICI LAVDIBVS ORATIO

IO: BAPTISTAE CRISPI Gallipolitani.

AD CIVES SVÓS

PERMISSV SVPERIORVM.



ROMAE,

Ex Typographia Vincentij Accolti, in Burgo.

M. D. XCI.

EXCELLENTI ADMODVM VIRO MEDICO ATQVE PHILOSOPHO LVCAE SALONO.

Io· Baptiſta Criſpus Fælicitatem.

QVAM orationem publicè perorandam mihi præparabam (ſi modo poſt exactos meorum ſtudiorum labores, patriæ limina ſubire vnquam contigiſſet) eam nunc ad te mitto humaniſsime Salo: qua quidem, tentabam philoſophiæ partem Medicam, poſita mihi ob oculos Medici præſtantia commendare. Nam, quia notiores mihi fuerant, vni (vt de multis taceam) Piſani, Longi, Caſares, præclara huius Neapolitanæ Vrbis lumina, quàm ipſa propè Medicina; propterea in Medico exornando libentius ingenij vires experiri concupiui. Cæterùm, cū ſtudiorum meorū rationē aliò vertiſſet, ſiue animus ſiue animi potens illa, non raro, voluptas: putaui ſanè, haud quidem ab re facturum, ſi quæ coram multis, & illis quidem doctis Viris, dicere deſtinabam; eadem vni ſaltem, aut alteri amico legenda præberem. Ecquem quæſo decebat huiuſce argumenti orationem legere, niſi te Amice Salo? qui Medicæ facultatis penetralia ita ſtre

nue adieris, vt eius felici poſſeſſione facias in dies vt te ſummopere admirentur omnes, ſed proprio humanitatis munere, vt vehementer colant. quos tamen ipſe vnus longe ſupero, quippe qui, vtroque nomine tibi me obſtrictum adeò ſentiam; vt ſine meo ſcelere tanto animi affectui cõniuere non poſſim, tantum abeſt vt debeam. Lege igitur hoc nomine præſentem qualemcumque exercitationem, aut ſi mauis ita legas, vt quæ in illa vix explicari potuiſſe viſa ſunt, eadem à te (ſed vtinam ad vnguem (vt aiunt) expreſſa exiſtimes. dum ego interim ſacrũ hunc Paſchatis Epiphaniæ diem, fauſtum fælicemque vt viuas iucundiſſimum exopto, vt quam tibi fælicitatem ingenij ſolertia, & vitæ probitas comparauit, eandem immortalis Deus æquabilem, perpetuamque, me vouente ſecundet.

Vale Romæ. *M. D. LXXXXI.*

IOANNIS BAPTISTAE CRISPI GALLIPOLITANI

ORATIO DE LAVDIBVS MEDICI.

PRęclare admodum, satisq. fœliciter, rem euenturam putabam Ciues ornatissimi, si humanitas vestra mihi ad charissimam Patriam aduentare conanti, è propriis laribus absens voluisset annuere. Verebar enim placidissimæ vestræ tranquillitatis honestum otium vltrò meis interpellare sermonibus; verum hæc(vt video) audacia mihi longè felicissimè cessit: Vicit enim & spem & vota mea, pietas ista vestra plusquam paterna, hilaris hæc & blanda occursatio, frequens iste conspectus vester; Cuius me ad concionem summa nunc ducit autoritas. & tanquam orationem habiturum, in hunc nobilissimum, & summum Ciuitatis locum ascendere cogit, qui tot aliàs vidit insignes viros, qui studiorum labore Terra, Marique, diu peragrati, quantum profecerint, luculenta oratione, mox re ipsa manifestare tentarent. & ex illorum numero vnum me esse putastis, & vnus ipse esse studui, qui eundem aerem, vnde prius spiritum duxi, amplecterer: eandemq. communem Parentem Patriam, quantum in me esset, iuuare tentarem. & equidem ingenue fateor, quemadmodum animi excolendi causa lætus hinc abij, ita etiam eò libentissimè hoc egi, quo magis, atq magis de gratissima Patria, de Parentum charitate, de vestra beneuolentia, & de merito non mediocri bene

mereri

mereri valerem. decebat enim eorum gratia, quibus natus ipse essem, aliquid præclari facinoris egregiè committere. Cum autem peregrinentur alij quæstus, alij tantum animi causa, plerijq. virtutis ergò, mihi vnum ex iis esse placuit, qui bonarum artium studia, & virtutem ipsam adipisci tantum exoptarent: doctissimorum potius virorum, quàm aliorum hominum vestigiis insistens. non enim externarum rerum delitias, nec historicam rerum cognitionem, aut vilium mercium fructus dignè vobis me offerre posse sperabam. præsertim cum in tanta rerum omnium vbertate, in tam fertili solo, in tanta aeris clementia nati essetis; sed multarum rerum peritiam Philosophia, & Medicina ducibus equidem præstantissimis, vt si quid aliud, nobis mortalibus ab immortali Deo est traditum. quid enim præclarius in hominum vita repetiri vsquam potest, quàm mentem tueri sanam, illamq. (teste Socrate) in corpore sano conseruare? quorum illud Philosophia, hoc vero Medicina, vel maxime præstat, cum altera nos rerum causas doceat, altera vero veluti in exemplum omnia rapiens, humanis corporibus applicare cuncta studet. quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura sequentur.

CVM enim naturalis Philosophus vniuersam corporum omnium contemplationem ad humanum vsque perducat, ab eodem Medicus ducens exordium, in idem suos labores impendit. Sed ille quidem, hominem spectat cognitionis causa tantum. quem tandem inuentum, ac veluti à se fabrefactum, in animantium nobilissimo repo nit genere. hic verò, & si eundem sibi proponat scopum, non in eo consistit. quasi partium tantum, aut totius coagmentationem corporis sit contemplaturus, quin potius, inde operationis modum deducens, functionum omnium labores sui causa conspicit. Pergit deinde Philosophi diuina propè vis humanã mentem ad cælos euehere. At Medici veneranda potestas maximo rerum vsu

(quasi

(quasi eidem menti vehiculos præparans) calcar addit. & dum ille delectationem internam inspicit, hic externam vtilitatem insectatur; cumq. alter de maximis rebus acriter cum dignitate disputet, alter verò in minimis ipsius partibus operæ plurimum, studiiq. consumit. Tollit quidem Philosophus suis præceptis animi vitia; at verò Medicus languētis corporis morbos frangere studet, ille sententiarum grauitate ducit, hic verborum lenitate allicit, ità vt hunc amare possis, illum admirari. & si liceat fari quæ sentiam, adeò inter illos nulla discors verborum diuersitas, aut etiam sententiarum discordia, vt eadem vnanimi consensu, discordi quadam concordia ab eodem (vt aiunt) diagrammate pendere videantur. non secus ac si à sphærici corporis puncto duæ quædam lineæ promanantes, ad oppositas circuli partes producantur, quas & si contrarietate motuum concurseras nunquam dixeris, tādem globus ille, in vnum conuenire easdem facit, & quæ tanquam contrariæ inde discesserāt, simul deniq. ad eundem punctum coalescunt. Spectat igitur Phisicus animal hoc admirandum, & venerandum, quem vocamus hominem, atq. item spectat Medicus; Sed ab eodem vtriq. veluti è portu vela soluentes, ad superos tandem partem euehunt Diuiniorem. cæterum cum duplex sit via, duplexq. cursus illorum è corporis huius compagibus abeuntium: Phisicus partem petit superiorem. tametsi in humanis degens nonnihil commoretur. nam, & si superioris mentis vtitur potestate, adhuc etiam sensuum non deserit facultates: sed mentem tandem perficere studet, illā ad superos omnino eleuare: tum demum ad ipsam sese cōuertens intelligit, quemadmodum Deus, & si animum in corpore incluserit, intelligentiam tamen in animo indidit, qua cùm semper contendit ad supercælestium mentium contemplationem ascendere, & inde ad earundem naturam consequendam peruenire. & quę modo mens humana in sua contemplatione, veluti luna eclypsim patie-

batur

batur(secretioribus Theologis annuentibus)Tunc superno Sole illustrata, quæ supra sunt(vtar enim ipsorum verbis)sapienter intelligit, quæuè infra in intelligendo sapere videtur. Contra verò Medicus,& si partem eligit inferiorem,(quæ tamen sua est animi magnitudo) cogitationes omnes non abiicit in rem humilem atque contemptam, sed cum humiliora interim inspiciat, ad altissima inde promoueri non dubitat. Hinc ille quidem ab elementorum ex vna materia, generatione sumit exordium, & si in vnius hominis temperatura dignoscenda conquiescat eius tamen causa, elementa, cælum, naturamq. omnem superiorem perquirit, atq. inferiorem; nec finem inquirendi facit, donec ad humanam vtilitatem omnia transtulisse videat. Principio, Terram fætam cælestibus ignibus studiose inquirit, quonammodo in ipsa cognatus humor plātas vberiores efficiat: vnde vestita floribus reddatur, herbis, Arboribus, frugibus, quomodo Sole æquali ter diuersas eiusdē partes perlustramente, Tamen alter alteri loco adeò præstet, vt inde tantarum rerum diuersitas admirabilis innascatur, qua tantopere Medicinam iuuari cernimus.& veluti Protheus, immensum aquæ pelagus subiēs, quis ipsius sit vsus considerat. quandoquidem non dubitauerunt quidam asserere, vnam aquam solam, quæ morbis omnibus occurrat, satis esse posse. quis enim non miretur fontium medicas facultates? liquores salutiferos Amnium? tot genera, tamq. disparia, partim submersarū, partim fluitantium,& innatantium Beluarum, partim ad saxa natiuis testis inhærentium? Demum metheorologicus factus, infinitimum aerem ascendit. inspicitq. vt annuas frigorum, æstuumq. habeat variationes. vt spiritu ductus alat,& sustineat animantes. vt vere Mortalibus vitæ,& morborum, ægrotis autor existat. Nam(si Hippocrati credimus)vsq. adeò animal omne illo indiget, vt si quidem omnibus aliis abstineat, hoc vno adiutus, vitam ad dies plurimos perducere possit. Vt cum mortalis vita ab

omnibus

omnibus operibus quandoque immunis conquieſcat; ab hoc tamen opere nnnquam feriata eſſe dicatur. Tranſeo nunc anni temporum rationes. Ventorum,Aquarum,Ciuitatum ſitus,Terrarum diſcrimina,mores,& morbos,ſingulis ætatibus aeris cauſa inſinuantes,vt non aliunde morbos euenire quis recte putet,quàm ab aere,ſi is,aut cumulatior,aut morbidis ſordibus inquinatior in humanũ corpus ſeſe transfundat. Quanta vero ignis admirabilia, & quonammodo naturæ opera omnia expoliat, exornet,locupletet:qua item ratione, quibuſue modis ad Medicum ſpectet de illo diſſerere; id quidem puto tam eſſe ſuperfluum,quàm quod moleſtiſſimum.per hunc tamen euolat ad cęlum tantus Artifex,vnde primos cæli complexus attingit. Vide nunc quam prope cæleſtes regiones aduenit Medicus, qui,& ſi ſupernorum cæleſtium corporum ſpectator factus eſſe videatur & quid illa poſſint in humanum corpus cõferre,quantumuè,& quo tempore,quibus iuuantibus ſtellis congreſſione,aut oppoſitione nocentibus,tamen ne quidem tantarum rerum ſpeculatione contentus,Aſtrorum mentes non nihil intuetur:vnde poſtmodum præclaram habeat circa morbos conſiderationem: an ſcilicet tot acerba Deus ipſe in terras immiſerit, & qua Diuini conſilij ratione in nos illa irrũpant? vnde hominum generi calamitas aliqua impendat,atq. pæna,improbitati noſtræ iam diu debita. & quàm tacito varioq. gradu ad vindictã ſui Diuina procedat ira. cuius diuinæ vocis ductu magnus ille Hippocrates,cenſuit id expendendum eſſe Medico diligenter,ſi quid in morbis,aut vlla naturæ conſtitutione Diuinum lateat. Adeò prudens medicus omnia transformat ſeſe in miracula rerũ, adeò quicquid in contemplationis abditis apud alios eſt repoſitum, apud ipſum plane manibus ſumma eſt cum admiratione tractabile.ſed veſtra in me attẽte audiẽdi benignitas longius orationẽ prouexit,quę breuioribus apud doctiſſimos claudi debuerat.quamobrem iam prolixioris ſermonis ve

la contraham, si vnũ illud ostendero, quod ab initio polli citus, memoria penè exciderat. Hæc enim quæ dicta sunt de medico, humana sunt fermè oĩa: quid verò sublimioris atq. diuinioris in se contineat, nequaquã satis adhuc est exploratũ. Non.n. diuinum propterea dixerim esse Medicum, quod medicinæ inuentionem Diis, vt Apollini tribuerit Antiquitas, perfectionem Deorũ filiis, nẽpe Aesculapio: nam fabulosi Græci, nõ satis rectè historiæ veritatẽ ab Hebræis accipientes, quod erat sua dignitate grauissimum, in fabulã ipsi abire fecerint. vt rectè quidem Aegyptius ille sacerdos apud Platonẽ, Græcos semper pueros appellet, nec quenquã è Græcia senem. quippe qui nullam habuerint ex veteri narratione priscã opinionem, neq. aliquam disciplinã tẽpore canã. Solus omniũ sapiẽtissimus Socrates illorum dogmatum non ignarus, quid esset sol, & Aesculapius, & ipsorum intelligentiã rectè percepit. & cum iam animam veneno adstrictus ageret, quod Deorũ multitudinem rectè negauerit, Aesculapio tamen gallum in extremo suæ vitæ sermone immolari iussit; hoc est supremã mentis partem (quam sub gallo intelligebat) haud equidem Aesculapio, neq. etiã Soli offerri pius ille volebat, quin potius cũ ab Aegyptiis accepisset, intelligentiã quandã orbi Solis imminere, & Hebræorum sapientibus eãdem Raphaelẽ appellari, qui & medicina Dei propria vocis significatione dicitur; ipsi offerendum gallum præcipiebat. Aesculapio tamẽ aut (quod idẽ est) Soli visibili, non ob aliud sanè hoc faciendũ iusserat, nisi quia cũ Græcis loquebatur alioqui fabulosis, & super cœlestiũ inscíis, & ignaris. non enim visibilem Solem, aut mortalẽ Aesculapium gallus decebat, sed Raphaelem intelligentiam Soli ipsi imminentẽ, cui superior & diuinior sanandi virtus tribuebatur. cum vero Socrates nil omninò quicquã magis exoptasset, quàm vt sana mens à Deo, eaq. in corpore sano sibi tribueretur, idque tandem animaduertisset vsq. ad extremum suæ vitæ diem sibi contigisse, tantarum gratia-

rum

rum ille quidem haud immemor, intelligibili æterni Solis ministro, faciendum Gallo præceperat, & mentem ita sanam Deo immortali restituendam, à quo iam inde ab initio talem acceperat. quæ equidẽ si nobiscum, immò verò cum Hebræis sentiant Græci, sanè rectè habeant. sin minus; nunquam quisquam è Græcia senex esto. nec propterea diuinus sit medicus; sed diuinum ferè ego quidem illũ existimo, quod tantæ facultatis arcana homini tantùm, illius concessu, & munere, & ipsius caussa, præterea nullius à summo Deo detecta sint. Mirum quidẽ dictu est, fuisse Galeni temporibus quendam qui librum ediderit de admirabili ἀγηρασίᾳ (ac si de insenescentia dixeris) in scriptũ, si tamen ipse curæ infantium, qui ad hoc essent idonei, statim à primis præesset exordiis, ita. n. eorũ se corpora immortalia redditurũ pollicebatur. quin etiã Philippus quidã sophista, obedientẽ sibi, immortalẽ fore promisit. sed apage ineptias istas, hæc inquã missa faciamꝰ, quorũ nox cõscia sola est, cum autores in suis tenebris lateant, & illorũ summa ignorantia insigni mendacio, & simulatione iactationis obumbretur. Vnum illud certissimũ, quod non obscurè, non dissimulanter de Medici potestate veneranda, sed aperte, palamq. dici potest: cum vniuersus quandoq. orbis (Dij prohibete minas, Dij talem auertite pestem) propter pestilentiam, vastus, atq. desertus, & incultus redditur.

Subito (vt ait Maro) cum tabida membris.
Corrupto cæli tractu miserandaq. venit
Arboribusq. satisq. lues, & letifer Annus.

IAM videre puta, in florentissima olim Vrbe quadam populum ipso vultu, sonoq. vocis languidum. Iuuenum eneruatas vires, formidabiles senum facies, languentiũ & expirantium gemitus, oculos graues clamorem insanum, cursum furiosum, miserandam cadentium, & occumbentium stragem, vndantes ferè cruore vias, sacra omnia, atq. profana, supra, subterq. humanis congesta corporibus, &

cum amicis non modo nullum hospitium, sed ne quidem cũ domesticis vllus vsus, vlla cõsuetudo. non hospes ab hospite tutus, nõ socer à genero, fratrũ quoq. gratia rara est. & cõm uni furore iã debacchante (horresco referẽs) Pater ipse semiuiuum filium vix, ac ne vix quidem sepelit, cum tamen sepeliat. & contra, filius adhuc spirantẽ Patrem, ne quidem sepulturæ mandat, sed in abiectum, & remotum à se locum infert. adeò tunc tẽporis pia visa est crudelitas, itemq. crudelis pietas. adeò crudelis tunc vbiq. luctus; vbiq. pauor, & plurima mortis imago. Quem Herculẽ tãtis monstris tunc opponendum censeas? aut cuius auxiliũ (post Deum) implorabit tot irruẽtibus malis periturũ genus humanum? nempe vnius Medici mẽtem vnam, vnam manum, sola quæq. & sanum facere orbem, & seruare valeat. tunc vnius istius iudicium pluris faciendũ, quàm vniuersæ multitudinis. nã, (vt Homeri prouerbio fertur) vnus homo Medicus cunctis æquandus honore est. vnius Medici auxilium pluris habendum, quàm vniuersæ naturæ dãnum extimescendum. & equidem mihi videor, Medicum esse hominem arte ipsa præstantiorem; quippe qui prudẽtiam arti connectit. Naturę superiorem; quoniam luxatos artus, & pleraq. huiusmodi reponit, quæ natura efficere frustra tentat. atq. item se ipso meliorem, nam vbi semel à ratione discessum est, ipsa sibi animi imbecillitas indulget, ac si in lubrico posita, stare loco nescit. & semel incitata, in ꝓcliue substineri, nullo modo poteſt. vſq. adeò semp labar, & indeterius ruit. ecquis credat? in hoc admirabili aĩæ cũ corpore nexu, quã crudele, & exitiosum bellũ innascatur? nec prius hinc indictũ, ꝙ inde illatum. sitq. acerbius, quo diuturnius. & in incerto exitu, certissimus vtrinq. calamitosus, & exitialis finis. hinc corripitur sæpenumero corpus febriũ generib. quãplurimis, ꝙ tamen ex animi affectibus vel originẽ ducũt, vel cũ ipsis magis sæuiũt. cõtrà vero, prosternitur aĩa corporis ærũnis. vnde mæror, pauor, perculsio, consternatio, exanimatio, tremor, horror

trepida-

trepidatio, angonia, dubitatio, terror, stupor, ectasis. vt omittam inuidiam, maleuolentiam, odium, tristitiam, contemptum, verecundiã, pudorẽ, & pænitentiã. & quantis voluptatũ illæcebris præter spẽ improuisi necemur. & cũ pacem nobis afferre videãtur; tamen misellæ nostræ vitæ hostes euadunt vel perditissimi. iis adde amorem, primum (vt Platoni placitum) & vehementem animi motum, beneuolentiam, gaudium, concupiscentiam, libidinem, quam sequitur suspitio, Zelotipia, & obtrectatio. tanta est caduci huius coniuncti affinitas. ità mutuo suas sibi molestias inferunt.

Sic (vt lyricus ille inquit) corpus onustum
Extremis vitiis animum quoq; prægrauat vnà,
Atq; affligit humi Diuinæ particulam Auræ.

QVOS intermedius venit Medicus, qui medicina, veluti Herculea claua ornatus, armatusq. morborum monstra hæc omnia perdomat, vincit, & consternatur. atq. ita melior seipsò euadit. & inter vtrunq. mediatoris officio fungitur. nouit (etiam Platone asserente) Progenitor Aesculapius, amorem & concordiam inducere, & ea quæ inimicissima sunt, in humano corpore, quãtum eius fieri potest amica facere. quoniam cautionibus, farmacis, & sæpe tactu vtranq. naturam conciliat. immortalia uidelicet caducis, cælestia terrestribus, sæcum singula, cuncta inuicem nobiscum omnia. nam sensui addictus, si qua latent peiora, aut meliora, in eodem corpore per externa diiudicat, cerebri dispositionẽ ex uoce interdum deprehendit, cordis, expulsu. epatis, exlotij aspectu. uentriculi, & alui excrementis. Cum demum intellectui adnectitur, multa cernit, multa præmonstrat, multa præuidet atq. præsagit. quid cũ mortem, & salutem, & tempora, & qualitates, multò ante denuntiat? An non hæc siue vis, siue ars, siue natura, ad scientiam rerum futurarum, ad rerum humanarum cómodum, soli Medico est, nec ab alio alicui à Deo immortali

tradita?

tradita? sapientissime quidem Italicæ philosophiæ decus Pythagoras, cum multa de homine diu cogitasset, tādem hominem mundi oculum esse, breuissimo quasi encomio pronunciauit. quæ vox animo meo semper insedit altius; tenacius inhæsit, crebrius ad memoriam rediit, donec ali unde certam illius sententiā colligere potuerim. cum n. homo in huius mundanæ circumferentiæ centro sit consti tutus, oculorum luminis, radios circumfundens, obiectā sibi videt tanti circuli spectabilem omnem varietatem, & specierum omnium imbutus, tantus euadit, quantum est vniuersum, quod illum circumstat. sed cum neque cæcis, neq. amentibus tantæ molis præstantia esset offerenda, cui potius imprimis alicui nisi Medico hæc congruere pos se dixeris? ipse enim alioqui substantia minimus, & si tanti circuli comparatione penè atomus, capacitate tamen specierum, & ipsarum cognitione fit amplissimus. hinc etiam Pythagoreorum placitis annuentibus, est homo lyra Dei, est Dei templū, sed quis huius lyræ Orphæus? Medicus. quis admirabilis huius Templi diuinè structam col locationem contēplabitur? Medicus. soli enim Medico hu manæ huius lyræ simpathian conseruare licet, qui artis concentu veluti harmonico, quasi interuallis coniuncto disparibus, & acutis cum grauibus tēperatis, æquabiliter cuncta contemperat. solum Medicum decet, Diuinum opus, & fælicissimum Dei spectaculum intueri. & vno luminum motu seriem maioris mundi comprehendere. & cum maximo illo Mercurio admirari, quis tam pulchræ imaginis conditor? quis oculorum pictor? quis nares, auresq. tornauerit? quis labia distenderit oris? quis neruos tetenderit, atq. ligauerit? quis ossa congesserit solida? quis carnem pellicula tenui circumtexerit? quis digitos, articulosq. discreuerit? quis fundamenta pedum extenderit? quis perforauerit poros, atq. meatus aperuerit? quis splenem coegerit, atq. compresserit? quis pyramidis impresserit cordi figuram? quis iecoris texerit fibras? quis pulmo-

num